



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 84. Sessio decima tertia. Decretum adversus Communionem sub
utraque specie.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

§. LXXXIV.

Sæcul. XV.
A.C. 1415.*Sessio decima tertia. Decretum contra Communionem sub duplici specie.*

Sessio hæc decima tertia celebrata fuit *Lab. Conc.*
die XV. Junii. Peractis de more so-
lemnibus, Archiepiscopus Mediolanensis
jussu Concilii, & requirentibus Promoto-
ribus Decretum contra communionem
sub utraque specie prælegit, cujus tenor
erat sequens: *tom. 8. p. 98.*
Cum in nonnullis mundi par-
tibus quidam temerarie asserere præsumant,
populum Christianum debere sacrum Eucha-
ristice Sacramentum sub utraque panis &
vini specie suscipere, & non solum sub specie
panis, sed etiam sub specie vini populum
laicum passim communicent, etiam post cæ-
nam vel alias non jejunum, & communi-
candum esse pertinaciter asserant, contra lau-
dabilem Ecclesiæ consuetudinem rationabi-
liter approbatam, quam tanquam sacrilegam
damnabiliter reprobare conantur, hinc est,
quod præsens S. Concilium adversus hunc
errorem salutem fidelium providere satagens,
matura plurium Doctorem deliberatione
præhabita, declarat, decernit, & definit,
quod licet Christus post cœnam instituerit &
suis Discipulis administraverit sub utraque
specie panis & vini hoc Venerabile Sacra-
mentum, tamen hoc non obstante sacrorum

Sæcul. XV
A.C. 1415

Canonum auctoritas laudabilis & approbata consuetudo Ecclesie servavit & servat, quod hujusmodi Sacramentum non debet confici post cœnam, neque a fidelibus recipi non jejunis, nisi in casu infirmitatis aut alterius necessitatis a jure vel Ecclesia concesso vel admissio. Et sicut hæc consuetudo ad evitandum aliqua pericula & scandala est rationabiliter introducta, quod licet in primitiva Ecclesia hujusmodi Sacramentum reciperetur sub utraque specie, postea a conficientibus sub utraque & a laicis tantummodo sub specie panis suscipiatur. Cum firmissime credendum sit, & nullatenus dubitandum integrum Christi corpus & sanguinem tam sub specie panis, quam sub specie vini veraciter contineri. Unde cum hujusmodi consuetudo ab Ecclesia & sanctis Patribus rationabiliter introducta, & diutissime observata sit, habenda est pro lege, quam non licet reprobare, aut sine Ecclesie auctoritate pro libito mutare. Quapropter dicere, quod hanc consuetudinem aut legem observare, sit sacrilegum, aut illicitum, censeretur erroneum & pertinaciter asserentes oppositum præmissorum, tanquam hæretici arcendi sunt, & graviter puniendi per Diœcesanos locorum seu Officiales eorum, aut Inquisitores hæreticæ pravitatis in Regnis, seu Provinciis, in quibus contra hoc Decretum aliquid fuerit forsan attentatum, atque præsumptum, juxta canonicas

nonicas & legitimas Sanctiones in favo- Secul. XV.
rem Catholicæ fidei contra hæreticos, & eo- A. C. 1415.
rum fautores, salubriter adinventas.

§. LXXXV.

Commissarii ad causas fidei nominati.

Perlecto hoc juxta ac approbato De- Labbe Conc.
 creto, aliud adhuc recitabatur, quo to. 12. p. 102.
 omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, E- Vander
 piscopis, Prælatiis, eorumque Vicariis u- Hardt to. 4.
 bilibet constitutis sub pœna excommu- p. 335.
 nicationis præcipiebatur, punirent eos,
 qui hoc Decretum pertinaciter transgre-
 derentur, invocato etiam (si opus fuerit)
 auxilio brachii sæcularis, qui vero ad
 poenitentiam redierint, ad gremium Ec-
 clesiæ susciperentur, injuncta eis poeni-
 tentia. Cum vero indies novæ prodi-
 rent hæreses, Promotores Concilii Com-
 missarios nominari postulabant, qui ma-
 terias fidei examinarent, & de illis us-
 que ad sententiam definitivam exclusi-
 ve judicarent. Annuente Synodo, Car-
 dinales Ursinus, Aquilejensis, Camera-
 censis, & Florentinus cum quatuor aliis
 cujusvis Nationis Commissariis tam E-
 piscopis, quam Doctoribus ad audiendas,
 & examinandas fidei causas, nominati
 sunt, ut observata legum norma judica-
 rent, & quascunque hæreses, atque erro-
 res tam in fide, quam in moribus unde-
 cunque